IRIS LVSITANA,

SIVE

DE S. ELISABETHAE LVSITANIAE REGINAE LAVDIBVS

ORATIO

HABITA IN AVLA MAXIMA
Collegij Romani Societatis IESV

A D. FRANCISCO DE MOVRA
LVSITANO.

ROMAE, Typis Franciſci Corbelletti. MDCXXXVI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARD. BARBERINO S. R. E. VICECANCELL.

D. FRANCISCVS DE MOVRA F.

PVLCHERRIMAE Iridis in Eliſabetha Luſitaniæ Regina Diuino à Sole mirabili artificio coloratæ effigiem, quam orationis meæ rudi velut in tabula ſubobſcuris coloribus adumbratam condideram; vt in bono tandem lumine collocarem, tua mihi quærenda

lux fuit, Princeps Eminentiſsime, in quo VRBANI Solis, qui vicariam illius Diuini Solis gerit in terris vicem, imago reſplendet; vt Maieſtatis, ac Sapientiæ tuæ radijs illuſtrata extare magis, atque eminere videretur. Accipe igitur meorum haſce ſtudiorum primitias, exiguum quidem, ſed ingentis meæ in te obſeruantiæ argumentum: & orationem meam, quam naſcentem tuæ in gremio benignitatis excepiſti, tuum iam confidentiorem ſub patrocinium confugientem benignè complectere. Vale.

Digitized by Google

ORATIO.

IMMENSAS Eliſabethæ Reginæ præſtantiſſimæ laudes anguſto nimis perbreuis orationis ambitu complexurus, Eminentiſſimi PP. anceps pendebam animi, quonam illam nomine compellarem, vt vniuerſas illius dotes, velut in arctum collectas, confertasq; proponerem: aut certè cum qua potius re illam conferrem, in quà velut in tabula illius virtutum decora, quæ dicendo exprimere non poteram, ſuis contemplanda lineamentis exhiberem. Sed tua me tandem, Eliſabetha, gloria, quæ in ſui admirationem allexit, ademit omnem, qua incertus fluctuabat, animus dubitationem. Dum enim te modo in euellendis ex hominum pectoribus bellorum ſeminibus feliciter inſudantem aſpicerem: modo vt fortiſſimam bellatricem, ſaniore quidem conſilio, quàm inſana olim Gigantum audacia,

dacia, bellum in Cœlum ſtrenuiſſimè gerentem admirarer; obtulit ſe ſtatim mentis oculis Cœleſtis arcus; quem dum Sapientiſſimus rerum omnium Architectus Deus, vt ſanciti à ſe cum hominum genere fœderis monumentum erigeret, in Cœlum quoque bellicum velut arcum inflexit: vt dum porrectis quodammodo brachijs coniungere inter ſe velle videtur beneuolentiæ nexu hominum animos, ad inferendum etiam Cœlo bellum ſe promptum, expeditumque præ ſe ferat. In quo cum tuæ gloriæ, virtutiſque ſimulacrum intuerer, te placuit nouam Iridem appellare, quæ dum indicat mortalibus pacem, Cœleſti ſimul etiam Regno (quod ex Veritatis oraculo vim patitur, & à violentis rapitur) amabiliſſimum bellum indicit. Hanc igitur dum Ego Iridem ſubobſcuris dicendi coloribus adumbrare contendo: vos pro veſtra in ſanctiſſimam fœminam pietate, orationem meam, benignitatis veſtræ luce colorate. Nata recens Eliſabetha, & ad lauacrum ſalutare deducta, concreta veluti è terræ vaporibus nubes, dum luſtralibus aquis aſperſa Diuini Solis radijs exponitur, Cœleſtium gratiarum pigmentis exornata verſicolorem in Iridem, hoc eſt, in omnem ſanctitatis vultum expingitur. O quàm libenter ego in colorum laudes excurrerem, quibus noſter hic arcus diuinitùs exornatur! Sed quis addere tentet ſplendorem Iridi, quam ſuis Sol ipſe radijs illuſtrat? Ecquid enim? Cæru-

ru-

ruleum ne fidei cœleſtis commendem? Sed hæc ſuis vt in vmbris lucet, ſic latet inter Eloquentiæ lumina. An viridem ſpei numquam defloreſcentis? at hæc parata ſibi à Deo immortalitate contenta, mortales hominum laudes dedignatur. An purpureum modeſtiæ ſingularis? hæc verò vni ſe Deo commendabilem exhibere ſtudens latebras magis amat, quàm lucem, gloriasque ſerere vult potius, quàm metere. An aureum, igneumque Diuinæ charitatis? Sed hæc ſuis melius flammis, quæ conformari etiam conſueuerunt in linguas, quàm linguis hominum celebratur. Fuerint hæc igitur ſupra quàm dici poſſit maxima in Eliſabetha: quia tamen temporis coarctatus anguſtijs, coarctare cogor meæ ambitum orationis, ad ea nos, quæ initio propoſueram, referamus. Proluſit enimuero Diuina Sapientia, quæ ludere conſueuit in Orbe terrarum ad ſancienda olim opera Eliſabethæ fœdera, & pacis otia reducenda, cum educta vix illa è Matris vtero, quaſi pacis nuncia naſceretur, inter Iacobum Auum, & Petrum Puellæ Parentem, ſedatis belli tumultibus, confecta pax eſt: vt ſcilicet pacato tranquillitatis illa naſcens exciperetur in ſinu, quæ animorum blanda conciliatrix depulſam toties per ſummam iniuriam, ab hominum conſortio pacem, in priſtinum erat ſtatum vindicatura. Vos hìc teſtor Luſitaniæ, ac reliqua Hiſpaniarum Regna; vos ad grati ſignifi-

Digitized by Google

cationem animi vera cum gloria prædicate, quoties Eliſabetha incenſa animorum odia ſuis lacrymis extinxit: quoties opibus obſtruxit ſuis litium fontes: quoties iracundia efferatos, vel ſuis ipſa precibus, vel vicariam adhibens aliorum manum ad humanitatem reuocauit. Ego enim hæc omnia, præclara quidem, vt rara, in alijs, in Eliſabetha vero vulgaria (quando aſſiduitas pretium ijs diminuerat) in præſentia prætermittam; dum ad illa me pertrahi odia ſentio, quæ in Reipublicæ capitibus excitata, capitaliora futura erant Luſitaniæ, atque Hiſpaniæ vniuerſæ, niſi ardentes animos, & ira cumulata pectora ſanctiſſimæ Reginæ induſtria tranquillaſſet. Redigite, quæſo, vobis in memoriam ſedatas inter Dionyſium coniugem, & Alphonſum fratrem Eliſabethę acerbiſſimas intimo odio, & corde conceptas diſcordias, conceſſa huic vltro Sintra, quam ipſa dono acceperat à Dionyſio; vnius oppidi poſſeſſione Alphonſo cedens, ne plurimi caderent: illud libentiſſimo amittens animo, ne tot cum ſanguine vitam amitterent: rerum ipſa ſuarum iacturam faciens, ne alij cædes inter, & funera humano in ſanguine ſalutis naufragium facerent. Quid verò de periculoſiſſimo illo bello dicam, quod inter Alphonſum Aragoniæ, ac Ferdinandum Caſtellæ Reges, fratrem alterum, alterum Eliſabethæ generum ob Murciani Regni poſſeſſionem exortum in dies

magis

Digitized by Google

magis exardeſcens, accenſos Maurorum animos in veræ fidei ſectatores, ad Caſtellæ fines inuadendos allexerat, non ſine ingenti Chriſtianę Reipublicę detrimento; quod tamen Eliſabethę prius apud Deum, atque homines precibus, mox Dionyſij Regis induſtria compreſſum eſt? Quid de excitato inter Dionyſium Patrem, & Alphonſum filium perfidorum hominum nequitia bellorum incendio, non minus victorum ſanguine, quàm vincentium lacrymis extinguendo; niſi prouida Reginę diligentia ereptum è Patris manibus filium, Sintræ primò illum inopinantem, mox arctiſſima cinctum obſidione Conimbricæ, opprimere meditantis, per ſummum tandem laborem ad Patri debitum præſtandum obſequium adduxiſset? Sed, quę rerum humanarum conſtans viciſſitudo, atque inconſtantia eſt, ſopitum ab Eliſabetha incendium, tartarei prædonis hominum hoſtis infenſiſſimi afflatu, denuo vehementius excitatum, vltimum Luſitanię Regno exitium minabatur. Aſt hic etiam inter obſcuras mortis vmbras ſplendidior emicuit Eliſabethę virtus; dum pene ſola (quando illi comitatum timor ademerat) per militum pugnantium globos, per volitantium telorum fulmina, inter cedentes, cadentesque, obuerſantem ob oculos mortem contemnens, vt aliorum vitam ſeruaret incolumem, impauida, hinc atque hinc, ad Patrem modo, mo-

do ad filium excurrere ante non deſtitit, quam inermis innocentia armatos non minus furore, quàm armis milites exarmaret; & extortis è pugnantium manibus gladijs, incruenta victoria triumphans elatum ferocia iuuenem ſupplicem ad Patrem deduceret, à quo perbenignè exceptus, cum illo ad extremum vſque vitæ diem coniunctiſſimè vixit. Neque verò hæc fuit laborum meta, quos in componenda gratia ſuſceperas Eliſabetha; ſed quam naſcens huius vſuram lucis inter pacis reſtitutæ lætitias acceperas, deponere tandem debebas inter eiuſdem extinctæ funeſtas, vt ita dicam, exequias Vrbium inter cineres, ac prouinciarum rogos, armorum ſtrepitu, inundantisque ſanguinis eluuione magis, quàm gemitibus, lachrymisque celebratas. Ecquid ni enim communi cum pace, funere te deploraret elatam Hiſpania, quam eodem pene cum illa partu genitam antea ſibi fuerat gratulata? Cum ergo arcano Diuinæ ſapientiæ conſilio, ob exortas poſt Dionyſij obitum inter Alphonſum Luſitaniæ, & Ferdinandum Caſtellæ Regem, illius ſororis filium diſſenſiones, grauiſſimum Hiſpaniæ bellum immineret: vt tantæ mederetur calamitati, grandis iam natu Eliſabetha dat ſe ſe in viam, filium Stremotij in Regni finibus degentem conuentura, quo ex itinere contracto morbo, ne tot quæ impendebant Luſitaniæ, atque Caſtellæ Regnis miſerias intueri

tueri

tueri cogeretur, non ſine maximo totius Hiſpaniæ dolore, lacrymiſque deceſſit. Ablegata nempè ijs è terris pace, Iris etiam eius nuncia ex hominum euanuit oculis, vt in perpetuæ pacis domicilio ſe ſpectandam Beatis Cœli Mentibus obijceret. Hoc vero quamuis longo poſt temporis interuallo contigerit, ſatis tamen apertè declarat, quàm ſtudioſa pacis eſſet Eliſabetha, quæ vt illam ſeruaret, vitam ipſam in apertiſſimum diſcrimen adducere non recuſauit. Et mirabimur, ſi, quæ tam ſedulò conciliare inter ſe alios contendebat, tantam erga illos præ ſe ferret manſuetudinem, ac lenitatem, à quibus grauiſſimis etiam non ſine dignitatis, atque exiſtimationis diminutione iniurijs afficiebatur, vt non ſolùm ijs iraſci nullo modo poſſe videretur, quos alij ne animo quidem æquo videre queunt; ſed, vt iniurias beneficio rependeret, tanta illos beneuolentia complecteretur, vt ex iacta contumeliarum ſemente meſſem illi gratiarum referrent vberrimã? Sanctiſſimas Matrimonij leges pellicum amore miſerè pellectus perfregerat Dionyſius. Aſt ſua fregit illum felicius patientia Eliſabetha, magnoque ipſi cum fœnore pro iniuria reddidit beneficium. Nihil enim de ſua erga coniugem beneuolentia detrahi patiens, quamuis Dei offenſa intimis ſenſibus angeretur, materna tamen charitate ſuſceptos ab illo filios complectens, aſſiduas Præpotenti Deo preces effundens,

illud

illud tandem obtinuit, vt ſe tandem colligens Dionyſius, ac ſanctitatem vxoris cùm ſua conferens improbitate, redierit in viam, & è priſtina vitiorum Tyrannide ſeſe ſubducens in libertatem reſtitutus fuerit filiorum Dei, cui ſeruire, verè regnare eſt. Reductis iam ſemel in concordiam ab Eliſabetha Dionyſio, & Alphonſo filio, improbiſſimi homines, qui nouis aſſiduè ſtudentes rebus extremam Alphonſo Principi perniciem moliebantur, egerant cum Rege, vt Reginam, & auctoritate ſpoliatam, & opibus ſecedere iuberet, è Regia illius nimia (vt ipſi quidem interpretabantur) in filium beneuolentia elatos iuuenilis animi impetus patriæ poteſtatis frœna detrectantis, non ſine Regiæ Maieſtatis contemptu foueri dictitantes. Prębuit aures perditiſſimorum hominum conſilijs Dionyſius, & Eliſabetham, ademptis illi, quæcumque nubenti data fuerant, ſcrabricam relegat, exulem ſane dixiſſem, niſi exulare non poſſe virtutem cognouiſſem, degentem vbique feliciter, & in patriam exilia commutantem. At vbi obſcuriores aërem nubes obducunt, ibi ſplendidior Iris eminet, ac refulget. Conueniunt, ad huius rei nuncium, Eliſabetham veteres eius clientes, ac familiares, arciumque Præfecti complures: de illata illi tam immerito iniuria conqueruntur: ad vltionem inflammant: operam illi ſuam ſpondent: ſeſe pro viribus eius innocentiam defenſuros, ac ius armis tu-

taturos

Digitized by Google

taturos pollicentur. Patere illi arces & caſtella: non defuturos, qui Reginæ tam de ipſis benemeritæ defenſionem vltro ſuſcipiant: nemini propriam vitam, quàm illius dignitatem cariorem futuram: ſuomet omnes ſanguine, quando alia ratione non poſſent inuidiæ faces, quæ improborum hominum ardebant in cordibus extincturos. Sed Chriſtianæ patientiæ lorica obarmatum Reginæ pectus, vt neque amicorum precibus, neque domeſticorum lacrymis flecti; ita nec ipſis quidem contumeliarum aculeis vulnerari vmquam potuit. Ne quam igitur tàm ſtudiosè ſeruare conabatur inter alios pacem vllo pacto violaret, ius ſuum potius violari libentiſſimo pertulit animo: ac ne verbum quidem excidere ſuo ex ore permiſit, quo aut de ſceleſtiſſimis Regis conſiliarijs, aut de Rege ipſo conqueri videretur: quouſque ſilens ipſa innocentiæ ſuæ aduocatione, ac muto tam conſtantis virtutis patrocinio à calumnia vindicata in priſtinam à Dionyſio reſtituta eſt dignitatem. Sed interim à ſedatis ab Eliſabetha diſcordijs ad geſta per ipſam in Cœlum, cara tamen Cœlo bella tranſeamus. Intelligebat Chriſtianæ militiæ peritiſſimus Eliſabethæ animus fruſtra ſe bellum in Cœlum ſuſcepturum, quod non tam firmitate neruorum, quàm morum gerendum eſt integritate; niſi prius perduelles corporis ſenſus penitus debellaſſet: neque ad illud vnquam acceſſurum propius, niſi ſe

huius

huius pondere liberaſſet : quando ex Diuinorum Oraculorum teſtimonio, corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Hunc ergo vt eneruaret hoſtem neruis omnibus contendendum, atque in hoc ſibi laborandum eſſe ſenſit; ratus quantum illi virium adimeret, ſibi tantum addi, atque ex illius caſu ſeſe altius, ac glorioſius emerſurum. Hinc illæ aſſiduæ corporis afflictationes, protractæ in longum vigiliæ, frequentia ieiunia, quibus dum corpus conficiebatur, reficiebatur animus, quam lautiſſimè. Cùm enim reliquum vitæ tempus cibi parciſſima traduceret, non ijs tamen, quæ noſtræ Religionis inſtituta præſcribunt, ieiunijs contenta, non exiguam anni partem ijs addixerat, ac ſaltem bis in hebdomada nil ad ſimplicem panem, & aquam profluentem adhibens, ſedabat, ne dicam famem, an potius illudebat? Debilitatum hac ratione eò iniquiorem, quo propinquiorem hoſtem, nihil negotij fuit Eliſabethæ ſub iugum mittere, & ad grauiſſimos exantlandos labores, & humillima quæque munera ſubeunda compellere. Conuertite, ſi placet, oculos, Auditores, ad illud iter, quod ad celeberrimum Diui Iacobi templum apud Callaicos, viri ſanctiſſimi corpus veneratura ſuſcepit; illud, inquam, iter, in quo pagos omnes, ac municipia, quæ non tàm luſtrauit, quàm ſuæ ſplendore virtutis illuſtrauit, integerrimæ Sanctitatis, atq; humilitatis Chriſtianæ veſtigijs impreſſit. Atque hic, ſi

vmquam

Digitized by Google

vmquam aliàs, noſtram Iridem non tàm ſpecioſo, quàm vero nomine, filiam admirationis nuncupauerim. Ecquis enim eſt, qui defixus admiratione non hæreat, dum intuetur opulentiſſimam Luſitaniæ Reginam, ætate iam prouectam, peregrinantium more ſuo innixam baculo: veſtitu ad modeſtiam, atque animi demiſſionem compoſito induram, è ſcapulis pendente ſarcinula, ſtipem oſtiatim colligentem ad victum; moleſtiſſima anni tempeſtate tam longum, tam laborioſum iter pedibus eundo, ac redeundo conficientem eò ſuſpiciendam magis, quò magis ſe deſpiciendam intuentium oculis exponeret? Sed peregrinantes iam noſtros animos cum Eliſabetha ad illius domum, ſeu potius virtutis theatrum ad præſtantiora ſubmiſſionis animi ſpectacula contemplanda transferamus. Cineralium dierum tempore, ſexta quaque hebdomadæ die accerſitis, clam alijs tribus ſupra decem pauperibus Elephantiaco morbo laborantibus. pedes illorum humaniſſimè abluebat, ciboq; poſtmodum eos refectos, ac ſtipe donatos liberaliſſimè dimittebat. Quinta verò ſanctioris hebdomadæ die fœminas duodecim ſuas in ædes conuocandas curabat, quarum (vt proximè illius veſtigijs inſiſteret, qui miniſtrare venerat, non miniſtrari) lautos pedes maximo cum pietatis ſenſu oſculabatur. cumque vna ſemel admiſſa fuiſſet, cuius fœdiſſima pedem gangræna exederat, ab illius aſpectu vel oculos

los

Digitized by Google

los cæteris amouentibus, admouere os illi Sanctiſſima Regina non dedignata, oſculo ſalutem impertiuit. Attritis hac ratione domeſticis hoſtibus ad caſtella, machinasque parandas; quibus Cœlum aggrederetur, animum, viresque conuertit. Ego enim dum ipſius iuſſu plures ad pauperes alendos, conſtructas ædes, & Sacrarum Virginum cœnobia excitata attentius animo recogito; tot mihi videre videor munitas turres, è quibus quot fundebantur Deo preces, tot ad labefactanda Cœli mœnia tormenta explodebantur. Quas dum commemoro, illud tacitus præterire non poſsum Diuino Spiritui dicatum templum, quod cum Regina in ſomnis admonita conſtrui iuſſiſſet, accedentibus illuc cum ipſa fabris, vbi erigendum erat, delineatum in area ædificium ab eo, qui omnia diſponit in numero, pondere, & menſura, non ſine admiratione conſpexerunt. Quam ob rem cum operi manus admouiſſent, diſcedens Eliſabetha oblatum ſibi roſarum faſciculum operarijs, vt diurni laboris mercedem diſtribuit, quas cum ſumerent ad veſperam domum redituri, in aureos illæ nummos admirando prodigio conuerſæ, poſteris documento fuere Diuini amoris igne inanes etiam floſculos in aurum commutari. Didicerant nempe roſæ, verius quàm de Mida olim Rege finxit antiquitas, in aurum ad illarum manuum attactum pretioſè degenerare, è quibus aurea ſemper pluuia in

pau-

Digitized by Google

pauperes emanabat. Quamquam haud mirandum hoc eſt, cum aurum etiam in roſas ad Eliſabethæ nutum tranſire conſueuerit. Cum enim ſemel pecuniam, quam pauperibus largitura erat ferens, roganti Dionyſio roſas in ſinu ſe geſtare reſpondiſſet; voci verè reſpondit euentus, auro in roſas transeunte, quas in aurum rurſum conuerſas pauperibus erogauit. Decebat enimuero, Eliſabetha, vt tuo in ſinu amœniſſimo virtutum horto aurum etiam, ſterile cæteroqui metallum, diſceret germinare, quæ aurum lenocinantis naturæ illecebram contemnẽs, immortalibus coronanda roſis eras in Coelo. His excitatis turribus, atque auxiliarium veluti copiarum præſidijs in ijs diſpoſitis, eorum ſcilicet, qui Reginæ ſumptibus in ipſis liberaliſſimè alebantur; ad alia ſuum adiecit animum ſtratagemmata, vt illo tandem beatitatis regno potiretur. Iactabat ſe olim ille quamlibet vel munitiſſimam arcem expugnaturum ſeſe, ſi vnico in illam iumento, quod onuſtum eſset auro, aditus patuiſset. At prudentiorem te quidem Eliſabetha præbuiſti, quæ aureas verè ſtruens inſidias, ne fortunas tuas fortè fortuna amitteres, non iumentorum dorſo, ſed pauperum manibus eas in Coelum præmiſiſti; vt dum arcas illis tuas reſerares, Coeli tibi fores triumphaturæ panderentur. Studuiſti nempe prudenter Æternæ Sapientiæ magiſterio edocta de Mammona iniquitatis tibi amicos facere, qui

Digitized by Google

te reciperent in æterna tabernacula. Quid hìc Ego enumerem exhauſta regia veſtiaria ad templorum ornatum, vt triumphalis tibi purpura texeretur? Quid inſumptos ad captiuos innumeros redimendos ex Maurorum manibus theſauros, vt quos ferreis ſoluebas vinculis, aureis tibi arctius deuincires? quid pauperes cæteros, quos ipſamet dites fecit inopia, dum tuis opibus locupletauit? Aperuit ſibi non ſemel aditum in hoſtilem arcem, dum ementito ſe cooperuit veſtimento callida prudētiſſimorum Ducum ſolertia. Et Eliſabetha, cum poſt Dionyſij mortem ſapientiſſimorum virorum iudicio ſine ingenti pauperum, ac regni totius detrimento inter Virgines illas, quæ ſub Sanctæ Claræ vexillo merent, Deo ſe mancipare non poſset: ea tamen, qua illæ vtuntur, indutam veſte ſpectandam ſe præbuit, vt ſub vili deliteſcens integumento regius animus, in Coeli regiam, quæ pauperibus ſpiritu parata eſt, ſibi viam reſeraret. Nec illud omiſit oculatiſſima ſolertis Reginæ mens, Virginis Maximæ, ac reliquorum Coeli ſimilium, atque incolarum beneuolentiam ſibi aſſiduis precibus, atque obſequijs conciliare, vt illorum ope in optatum tandem Coeleſtis Patriæ regnum exciperetur. Sed quid agis Eliſabetha? Ita ne verò? Occultis ſemper dolis, ac ſtratagemmatis, aperta numquam vi pugnandum eſt? Sed iam video innumera tuo ex ore contorta in Coelum iacula, dum ſup-

Digitized by Google

ſupplex incuruatis brachijs, hoc eſt, ſinuatis in arcum, non tot fundis verba, quot in illud tela contorques. Video te plurium horarum ſpatio Diuinarum rerum contemplationi vacantem; illi ſcilicet luctationi, qua cum exercituum Deo tam ſtrenuè luctabaris, vt feliciùs quàm olim Iacobus contra illum fortis effecta, etiam eluctareris. O quoties è Diuinæ Charitatis incendio, quod tuo æſtuabat in corde, tot pene dixerim vibrabas in Cœlum faces, quot è pectore ſuſpiria emittebas! Quoties eluuione lacrymarum, quæ vbertim tuis ex oculis Chriſti cruciatus animo recolentis emanabant, fortiſſima Cœleſtis arcis propugnacula deturbare contendiſti? Quoties commentitio melior Anthæo debilitatas bellicis laboribus vires reparatura, cum terræ te partum meminiſſes, quietem in terra captabas, vt fortior in Cœlum exſurgeres; ſeu potius nudo ſuper lapide decumbebas, vt ad conſcendenda Coeleſtis Vrbis moenia tibi ſcalas erigeres, quas cubanti ſuper petra olim Iacobo viſas fuiſſe, ex Sacrarum hiſtoriarum monumentis acceperas. His igitur aggreſſa Coelum artibus, atque armis, tam fortiter, ac præclarè rem geſſit Eliſabetha, vt patefacto ſibi tandem in patriam beatitatis aditu, illius victrix inierit poſſeſſionem. Euolaſti tu quidem in Coeleſte Capitolium, Eliſabetha: ſed ita euolaſti, vt Iridis inſtar, quę dum in frutices, ſtirpesque innititur, illis iucundiſſimum

odorem

Digitized by Google

odorem impertit; ea tui parte, quâ terram attingebas, ſacro videlicet corpore, eos omnes, qui ad illud accederent tum ſuauiſſimi ex illo emanantis liquoris, tum gratiſſimæ ſanctitatis odore recreares. Nunc verò fortiſſima Bellatrix, & Victrix glorioſiſſima, dum relatis per ſummum laborem palmis æternæ in ſinu pacis in ſumma perfrueris tranquillitate; quos tam largè in alios olim effudiſti tuæ clementiæ fontes, in nos quoque benigniſſimè deriuare ne ceſſes. Comprime tam ferociter bacchantes bellorum procellas, ac tempeſtates: furentium animorum impetus cohibe: impetra tantis aliquem calamitatibus modum. Flecte noſtris iratam ſceleribus Diuini Numinis Maieſtatem, iram mitiga, ad Clementiam reuoca ſæuientem. Nihil nouum, nihil arduum à te poſcimus. Nihil, inquam, nouum, quod toties in terris viuens conceſſiſti; nihil arduum, quod facile facto comprobaſti. Age ergo iam tandem & exulantem è terris tandiù pacem, quam adeo apud nos degens coluiſti, humanas miſerata calamitates ad nos reuoca; vt ſedatis belli tumultibus, proelia Domini tuo adiuti præſidio tam fortiter geramus, vt ſuppetias te ferente laborantibus, non prius vincere deſinamus, quam viuere, vt feliciter tecum etiam triumphemus in Coelo.

D I X I.

401.029⁴

Digitized by Google